Jahres-Bericht

über das

Städtische Katholische Gymnasium

zu Patschkau

für das Schuljahr 1872—1873,

womit zu der

am 14. August abzuhaltenden öffentlichen Prüfung

und dem

am 15. August stattfindenden Actus

ergebenst einladet

der Director Rösner.

Inhalt: a) De Graecorum religione per Judaeorum religionem illustrata. Scripsit Dr. Stein,
b) Schulnachrichten. Vom Director.



Patschkau.

Druck von Ed. Hertwig.

1873.

De Graecorum religione per Judaeorum religionem illustrata.

Inter ea, quae ad discipulorum animos erudiendos atque excolendos in gymnasiis adhibentur, non ultimum locum obtinent illa scripta, quae ab antiquitate usque ad nostram aetatem pervenerunt. Quorum de usu, utrum sermo, quo sunt composita, an res, quae iis continentur, inter legendum premenda essent, postquam quinquaquinta fere abhinc annos gravissimas sententias easque varias èt inter se discrepantes philologi protulerunt, nunc omnes fere (cf. G. Curtii verba in philologorum conventu Lipsiensi a. 1872) de ea re consentiunt, quod libros veterum scriptorum quum ad leges grammaticas explicandas sermonisque venustatem demonstrandam tum vero ita tractari oportet, ut certa quaedam antiquitatis imago quamvis extremis tantum lineamentis adumbrata in discipulorum mentibus remaneat. Ita enim et maxime perspici potest, quomodo homines ab antiquissimis temporibus sensim sensimque ad eum vitae cultum progressi sint, quo nunc utimur, et suam aetatem tum demum homo recte aestimat, quum pristina tempora accurate cognovit. Quid vero magis ad vitam veterum pertinet, quam ea quae illi de divinis rebus sentiebant atque cogitabant, quae religionis nomine complecti mihi liceat? Neque enim ullum vitae, neque publicae neque privatae, genus fuit, quin cum religione necessitudinem quandam haberet. cf. Schoemann, Griechische Alterthümer, II p. 121 sqq. Quum autem fieri nequeat, ut singulae res illius tam amplae tamque multifariae disciplinae, qualis est religionis, discipulis tradantur, in tractatione veterum scriptorum ea maxime proponenda videntur, unde propria vis ac natura veterum religionis perspiciatur. Qua in re multum conferre equidem existimo comparationem Graecorum atque Romanorum religionem cum ea religione, quae praeter illam ex contrario per totam antiquitatem vigebat, Judaeorum dico, cuius doctrinas ex libris Veteris Testamenti haurimus. Quum enim quae cognatione inter se apta colligataque sunt, aliud ex alio facilius noscantur, sententiae atque doctrinae Judaicae religionis, quae multo magis quam alius gentis iam a puero discitur, viam aperiunt ad eas sententias mente comprehendendas, quae veterum religioni subsunt. Sed quamquam Graecorum et Romanorum religiones multis partibus inter se differunt, tamen nonnulla quaedam eaque

gravissima communia sunt; quo fit, ut ad veterum religionis propriam vim atque naturam perspiciendam alterius populi religionis cognitio suppeditet. Quum iam Graeci de notitia deorum divinarumque rerum excolenda summopere meriti sint, satis est, quae hi de divinis rebus sentiebant, Judaeorum religioni opponere. Tria autem quasi signum imprimere Graecorum religioni censeo; primum, quod per temporum decursum varias sententias easque maximam partem vehementer discrepantes constituit; deinde, quod divina numina proponit complura; denique, quod hominem de conditione post hanc vitam futura incertum facit. Ex contrario Judaeorum religio per omnes aetates doctrinas semel constitutas retinet et iterum atque iterum unum esse deum docet et sortem hominis post mortem futuram apertam ante oculos ponit. Alii sane has res melius et ex omnibus partibus, quantum fieri potest, discriptas exposuerint, equidem satis fecisse mihi videor ea complexus, quae pro meis auxiliis haud ita multis conferre potui quaeque ad scholam apta videntur.

Ac primum quidem Graecae religionis doctrinas semper commutationi obnoxias fuisse dico, ut variis temporibus variae fuerint opiniones atque sententiae. Qua in re neminem certe fugit, quantopere differant ea, quae homines Homericae aetatis de diis senserunt, a cogitationibus, quas Graeci tempore Platonis et Aristotelis exploratas et cognitas habuerunt. Homeri enim aequales, qua indole erant, deos aliter fingere non potuerunt quam hominum figuris et actione vitae atque mentis agitatione humana praeditos. Quare ab Homero cum corpore humano diis simul attribuuntur non solum cupiditates omnium earum rerum, quae ad corpus sustinendum necessaria sunt, sed etiam omnia ea vitia, quae in hominibus deprehenduntur. Notissimi sunt loci ex Homericis carminibus, quibus dii et somno recreari dicuntur et cibo atque potu egere, quamvis eorum victus multo magis sit tenuis quam hominum. Quam vehementibus autem affectionibus dii permoveantur, inde imprimis intellegi potest, quod vulneribus acceptis summopere dolent et quod heroes, quibus non favent, cum ira et studio infeste prosequuntur. Quin etiam eo perturbationes et affectiones accedunt, ut ne inter se quidem invidia liberos sese exhibeant. Qua de re bene Cicero, qui in libro de deor. nat. I, 16 Epicureum Velleium poetas incusantem facit, quod ira inflammatos et libidine furentes induxerint deos; eosdem poetas fecisse, ut illorum bella, proelia, pugnas, vulnera homines viderent, odia praeterea, discidia, discordias, ortus, interitus, querellas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus mortalesque ex immortali procreatos. Forsitan dicas talia non admodum magno ad persuadendum momento esse, quippe quae in carmine epico enarrentur pro arbitrio poetae excogitata. Sed etiamsi singulae res narrationis poetica licentia inveniuntur et disponuntur, tamen in eo maxima virtus epici poetae cernitur, quod in singulis commenticiis rebus quam accuratissime imitatione exprimit atque profert, quae sunt ex mente eius gentis, cuius ipse est. Quam ob rem quae Homerus inter narrandum de divinis rebus interponit, non modo non futilia existimanda sunt, sed ne cognitiones quidem unius tantum hominis, verum totius aetatis.

Summus igitur est error atque maximarum rerum ignoratio, unde Graecorum religio, quantum ex scriptis nunc videmus, initium cepit. Certum sane est, priusquam deorum societas ita ad humanas conditiones accomodata animo obversata est, longe alius naturae deos cultos esse. Qui quales fuerint, videant alii, quum de hac re coniciendi amplissimus locus pateat. Quanto autem labore constitit ille progressus, quem Graeci in religionis

scientiis plus quingentis annis fecerunt, qualis ex scriptis Platonis et Aristotelis noscitur! Videtur illud Veteris Testamenti Gen. 3,19 „In sudore vultus tui vesceris pane“ (ed. vulg.) gentes etiam ita tetigisse, ut summa tantum industria sagacissimorum hominum notiones de divino numine, quae ferri possent, compararentur. Quotquot enim poetae lyrici et dramatici, quotquot philosophi magni atque nobiles fuerunt, pro suo quisque ingenio in emendandis et corrigendis religionis notionibus elaboraverunt. Et profecto admiratione digna apparent, quae illi viri adepti sunt! Nam opiniones de diis ex pristinis temporibus profectae talem commutationem in meliorem partem acceperunt, ut non paucae ad perfectionem quandam perductae proxime ad ea accedant, quae fides christiana profitetur. Multos iam annos ante Platonem poetae et philosophi quidam divinum numen conditione humana longe superius et apertam simplicemque mentem esse ostenderunt. Illas deterrimas cognitiones Xenophanes philosophus excusat mentis infirmitate, qua impedita hominum cogitatio supra humanam naturam non transierit. Pariter enim ex eius sententia equi et boves, si artis periti essent, figuras deorum ad sua ipsorum corpora fingerent. Dicit enim in frg. quodam apud Eusebium in Praepar. evang. XIII, 13 servato:

Ἀλλὰ βροτοὶ δοκέουσι θεοὺς γεννᾶσθαι (ἔδειν τε?)
Τὴν σφετέρην τ' αἴσθησιν ἔχειν φωνήν τε δέμας τε. —
Ἀλλ' εἴτοι χεῖράς γ' εἶχον βόες ἠὲ λέοντες,
Ἢ γράψαι χείρεσσι καὶ ἔργα τελεῖν ἅπερ ἄνδρες,
Ἵπποι μέν θ' ἵπποισι, βόες δέ τε βουσὶν ὁμοίας
Καί κε θεῶν ἰδέας ἔγραφον καὶ σώματ' ἐποίουν
Τοιαῦθ' οἷόν περ καὶ αὐτοὶ δέμας εἶχον ὁμοῖον.

Dii iam cogitantur mundum administrare corporis expertes; quare non egent iis, quae corpus humanum efflagitat. Quae turpia, a divino numine aliena, ex maiorum opinione diis adhaereant, ea ab antiquis poetis ficta esse, ut ait Pindarus Ol. I, 28 sq.

ἦ θαυματὰ πολλά, καὶ πού τι καὶ βροτῶν φάτιν
δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις ἐξαπατῶντι μῦθοι.

cf. Ol. IX, 37 sq. et Xenophanis frg. apud Sext. Emp. adv. Math. IX. 193:

Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε,
Ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστίν,
Κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

Quum sic vitia removeantur, divino numini tribuuntur summa potentia, scientia, iustitia. Ita definitio deitatis per theologiam Orphicam, mysteria, veteres philosophos atque poetas omnibus numeris completa est, ut Plato et Aristoteles singulas definitiones comprehendentes acerrimo ingenio vim et naturam deorum digne efficerent. Divinum numen celebrant nullo corpore vinctum et summis virtutibus exornatum, ut neque originem ceperit neque interiturum sit ullo tempore. Summus is est gradus, ad quem Graeci in excolendis de divinis rebus notionibus pervenerunt. Nam post Platonem et Aristotelem acies investigandi hebes quodammodo facta est, ut satis haberent ea conservare, quae maiores proposuerant.

Quodsi iam quae Graeci per complures aetates assecuti sunt, nobiscum reputamus, eo magis admiratione afficimur animadvertentes eos sua ipsorum animi contentione illa comparasse nihil magni momenti aliunde petentes. Quam multum contra differt ratio et

*

via, qua apud Judaeos notiones de divino numine ortae et propagatae sunt! In iis certa quaedam stabilitas cernitur, ut ea, quae semel accepta antiquissimi scriptores tradunt, eodem sensu scriptores extremae aetatis Judaeorum retineant. Quae Moses de deo praedicat, idem Malachias, ultimus prophetarum, profitetur. Libri ab antiquitate traditi sacri habiti sunt, a quibus ne transversum unguem quidem discedere oporteret. Quin etiam quum Judaei regno everso sub potestatem aliorum populorum redacti essent, ad constitutas religionis sententias nihil accessit, quod propriam religionis Judaicae naturam commutaret. At inde, quod Judaeos cognitiones antiquissimae aetatis retinuisse, Graecos tales non solum in aliam formam convertisse, sed etiam plane abiecisse disputavimus, concludere tamen non licet Graecos per temporum decursum denique Judaeis sublimitate et certa fide notionum praestitisse; immo in hac re id maxime mirum est, quod quae praeclara post multa demum saecula continuo doctissimorum virorum studio parta sua tenebant Graeci, Judaeis eadem iam antiquissimis, unde nobis traditum est, temporibus contigerant. Quae res quamquam multis ex partibus manifesta est et eo magis ad inquirendum compellit, quod quum Graeci ab omnibus antiquitatis peritissimis ob mentis aciem et veri investigandi studium recte summis laudibus efferantur, quippe qui in omnibus poeseos generibus opera omnibus numeris usque ad nostram aetatem perfecta composuerint et gravissimarum disciplinarum fundamenta iecerint, Judaei in literis parum profecerunt, qui poesi dramatica plane neglecta et epica mediocriter tractata lyricam tantum maiorem in modum coluerunt et in prosa oratione historicis scriptis maximam operam navarunt, tamen quomodo ista res facta sit, levissimas, ut opinor, vel nullas causas viri docti proferunt. Nam quod hanc religionis differentiam inter Judaeos et Graecos, quae Judaeis bene cedit, ex terrarum situ, quas incolebant, interpretari conantur, quomodo in ea re Graeci damnum fecerint, non video. Quae res quum ita sit, ne Bauer quidem, ut hanc quaestionis difficultatem tollat, ad illam christianae religionis doctrinam confugere non dubitat, ex qua Judaei per ipsum divinum numen, quum de se suaque voluntate notitiam aperiret, ad gravissimam quamque religionis sententiam accesserunt. Quo posito sane Judaicae genti laus ob egregiam religionem vindicata magnopere imminuitur.

Qua cum re arcte cohaeret alter locus rei propositae, qui inde ducitur, quod Graecorum religio complura divina numina proponit, Judaei unum tantum adorant. Si enim deus ipse de se suaque voluntate gravissimas res aperuisse creditur, per se patet unum se esse summum deum declarasse. Atque hanc sententiam unius vivi dei procul dubio constitutam continet illud, quod confessio quodammodo Judaeorum fidei est: Audi Israel dominus deus noster dominus unus est (Deut. 6, 4 ed. vulg.); quocum conferenda verba dei Ex. 20, 2 et 3: Sum dominus deus tuus; non habebis deos alios coram me, et Ex. 3,14: Ego sum, qui sum, qua sententia nihil sua natura dei simile esse declaratur. Quam fidem certissimam per omnes aetates profitebantur, ut nonnulli ne crudelissimis quidem suppliciis deterrerentur seque ad mortem potius offerrent quam alios esse deos confiterentur. Ad eiusmodi sententiam Graeci nulla aetate, ne tum quidem, quum philosophi de divinitate aliena atque indigna removerant, sese erexerunt. Atque vetustiora quidem scripta, unde nostram de natura Graecorum deorum cognitionem haurimus, maiorem exhibent numerum deorum, quorum suam quisque voluntatem, suam quisque actionem persequitur. Apud Homerum, quamquam Jupiter pater deorum hominumque dicitur, tamen praeter

eum multi alii dii suam exercent vim et in rerum naturam et in hominum sortes. Alii in coelo, alii apud inferos, alii in terra versari cogitantur. Quin etiam homines non natura, sed gradu tantum virtutum a diis differunt, id quod posteriore tempore Pindarus quoque exprimit Nem. VI, 1:

Ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος· ἐκ μιᾶς δὲ πνέομεν
ματρὸς ἀμφότεροι· διείργει δὲ πᾶσα κεκριμμένα
δύναμις, ὡς τὸ μὲν οὐδέν, ὁ δὲ χάλκεος ἀσφαλὲς αἰὲν ἕδος
μένει οὐρανός.

Post Homericam aetatem numerum deorum, quum cultus aliorum amplificaretur, aliorum novus institueretur, imprimis in mysteriis adauctum esse verisimile est. Quem magnum numerum deorum philosophi primi omnium vel minuere vel tollere conati sunt. E quibus maxime Xenophanes et Heraclitus, qui philosophi inde ab anno quingentesimo quinquagesimo fere a. Chr. florebant, opinionem de multis diis per poetas excultam atque a maioribus traditam vehementer vexasse videntur. Quorum de scriptis nihil superesse nisi fragmenta graviter dolendum est. Sed et inde intellegi potest, quantopere illorum placitis cultus deorum concussus sit. Xenophanes quidem certissimis verbis unum esse divinum numen affirmat fragmento a Clemente Alexandrino Strom. V, 601 C. servato:

Εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος,
Οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίιος οὔτε νόημα·

et imprimis fragmento, quod apud Sextum Empiricum adv. Math. IX, 144*) occurrit:

Οὖλος ὁρᾷ, οὖλος δὲ νοεῖ, οὖλος δέ τ' ἀκούει.

Sed multum interest inter Judaeorum fidem de uno vivo deo et horum philosophorum sententiam de uno divino numine. Judaei enim deum ante mundum iam fuisse et praeter mundum vigere credebant, philosophi autem unum divinum numen intellegebant totum mundum ipsum vel, ut Ciceronis verbis utar, omne, quod esset infinitum. Huc accedit, quod, quantum vitam Graecorum ex scriptis perspicere possumus, horum philosophorum cognitiones cogitationem vulgi haud ita graviter tetigerunt. Scripta enim Heracliti vel docti viri difficilia intellectu existimabant cognomen ei tribuentes σκοτεινόν. Vehementissime vero eum reprehendit Lucretius poeta Romanus I, 639 sqq ed. Bernays:

Clarus (sc. Heraclitus) ob obscuram linguam magis inter inanis
quamde gravis inter Graios, qui vera requirunt:
omnia enim stolidi magis admirantur amantque,
inversis quae sub verbis latitantia cernunt.

Etiamsi igitur pristini temporis usitatae perceptaeque cognitiones deorum magnopere commutatae sunt, tamen ne Plato et Aristoteles quidem, qui ad christianae fidei doctrinam proxime accesserunt, cogitando perducti sunt eo, ut praeter unum summum deum alios esse praeterea deos negarent. Apud Aristotelem enim dii planetarum, ut summus deus, aeterni sunt, a quibus planetae moveantur, et apud Platonem item dii comemmorantur, quamquam a summo deo creati finguntur.

Quae differentia inter monotheismum Judaeorum et polytheismum Graecorum, ut usitatas voces adhibeam, facilis intellectu est consideranti, quam contrariae Judaeorum

*) Quum scripta Clementis et Sexti mihi non praesto essent, locos hos descripsi ex libro, quem composuit Ueberweg, qui inscribitur Grundriss der Geschichte der Philosophie des Alterthums.

et Graecorum notiones de ratione sunt, quae inter divinum numen et mundum intercedat. Illi enim credunt deum sempiternum et mundo priorem esse; nam deus praeter mundum versatus cogitatur, qui potentia sua ex nihilo universum creavit. Ita statim ab initio Moses: In principio creavit deus coelum et terram. Atque idem fere legimus Sap. IX, 1: Qui fecisti omnia verbo tuo, et II. Mach. 7,28: Peto, nate, ut aspicias ad coelum et terram, et ad omnia, quae in eis sunt, et intellegas, quia ex nihilo fecit illa deus et hominum genus. Longe aliter res se habet apud Graecos. Quorum ex opinione materia rerum aeterna est, dii autem aut inde originem duxerunt aut una cum materie ex aeternitate sunt. Illa sententia est antiquissimi temporis. Nam apud Homerum ut omnia sic dii ex Oceano orti sunt; apud Hesiodum autem fuit initio chaos, unde mundus et dii gignebantur; apud veteres Jonios philosophos aqua vel aer; omnes denique, qui de primordiis rerum inquirebant, materiam aliquam initium rerum esse statuerunt. Quam sententiam etiam ii philosophi retinuerunt, qui nihil divino numini cum materia commune esse dicebant. Quo factum est, ut Anaxagoras et Aristoteles, quum materiam et deum pariter aeterna esse dicerent, deo in mundo constituendo eas tantum partes tribuerent, ut rerum motum regeret atque tueretur. Plato solus statuit creatas esse quasdam ideas per summam ideam, ita tamen, ut, quomodo res, quae ob oculos versantur, exstiterint, in dubio remaneat. Nam quod Cicero de natura deor. I, 10,25 Thalem Milesium dicentem facit deum esse eam mentem, quae ex aqua cuncta finxerit, falli eum manifestum est, quum Aristotele gravissimo teste (Metaph. I, 3) Anaxagoras demum materiam et divinum numen ita inter se opposuisse dicatur. Quae res quum ita sit, summa ratio cogitandi, ad quam mens humana necessitate quadam cogitur, apud Judaeos in divino numine, apud Graecos in mundo sita est. Huc autem accedit, quod apud Graecos in religionis, praecipue deorum, notionibus formandis mens quidvis cogitatione depingens, quam vocant phantasiam, multum valuisse. Quae enim sensibus perceperant, ea ad iustas causas cogitatione referre impares quasi facta ab animante quodam fingebant. Rerum autem natura, quam parum accurate exploratam amplectebantur, antiquissimos homines mirum in modum tetigit. Quum iam fulmina de coelo icta videbant et tonitrua animos terrore excitantia audiebant, quomodo ea fierent, aliter rationem reddere nequibant quam numine posito, quod ipsum animans et humana specie indutum illa efficeret. Figura autem et tota natura numinis ad sensus excogitabantur, quos oblata res in homine excitaverat. Quando fulmina et tonitrua terrebant, Jovem ipsum iracundum, sin autem coelum serenum affulgebat, numen quoque, quod hoc perficeret, hilare atque benignum esse existimabant. Sol mane ad orientem versus conspicuus, postquam per coelum cursum perfecit, in occidente obscurum subit: inde vivida mens imaginem dei ita depinxit, ut deus admodum iuvenis curru equis alatis vecto iter per coeli spatium faceret et sub vesperum in oceanum sese demitteret. Quum tali modo omnis naturae actio ad animantem deum referretur, ita tamen, ut non res ipsae, quae ante oculos versabantur, pro diis haberentur, sed ut ab aliquo perfectae ad subtantiam quandam, ut ita dicam, pertinere viderentur, fieri non potuit, quin denique tota rerum natura divinis numinibus compleretur. Omnis arbor, omnis fons suam habebat Dryadem, suam Naiadem, ut universa terra maximus deorum hortus videretur esse. Talem mundi imaginem hominibus, quorum sensus, mens, animus facile moventur, valde arridere rei consentaneum est. Schillerus noster quoque, qui erat eiusmodi indolis, vociferatus est conquerens:

Schöne Welt, wo bist Du? Kehre wieder
Holdes Blüthenalter der Natur!
Ach nur in dem Feenland der Lieder
Lebt noch Deine fabelhafte Spur.
Ausgestorben trauert das Gefilde,
Keine Gottheit zeigt sich meinem Blick,
Ach von jenem lebenswarmen Bilde
Blieb der Schatten nur zurück.

Neque tamen istae opiniones conservari poterant. Dissolvebantur sensim sensimque res deorum, quo magis mens humana inqairens rerum naturam accurate cognoscebat. Quo facto multa, quae antea per deos comparata videbantur, certis naturae legibus fieri atque absolvi apparebat. Jnde simul elucet, quomodo fieri potuerit, ut de eadem re diversis temporibus diversae pro cognitione rerum sententiae percrebrescerent, id quod factum esse cum fabula de Atlante demonstravi dissertatione programmatis gymnasii Oppoliensis a. 1871.

Restat, ut de tertia, quam posui, inter Judaeorum et Graecorum religionem differentia disseram, de iis, quae utraque natio de rebus post mortem futuris sentiebat. Atque Judaeorum quidem persuasio erat mortem nihil aliud esse quam animi discessum de corpore, ut corpus quidem tabesceret, animus vero, etsi corpore seiunctus esset, tamen vivere non desineret; quin etiam aliquando animum cum corpere iterum coniunctum iri. Quae sententia primis quidem temporibus non tam explicata quam adumbrata est; sed omni dubio maior certis quibusdam dicendi formulis apparet, velut ad patres eundi pro voce moriendi, ex ea re, quod Henoch et Elias ad coelum evecti esse dicuntur, ex usu quaerendi a mortuis. Aperta vero atque dilucida sunt, quae legimus in scriptis posterioris temporis, velut Job. 25, 26: Scio enim, quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo deum meum! Quocum inter alia conferenda egregia descriptio Ezechiel prophetae, quomodo aliquando mortuorum animi cum corporibus coniungantur et ad novam vitam perducantur, 37,1—14, unde affero haec: Factus est autem sonitus, prophetante me, et ecce commotio; et accesserunt ossa ad ossa, unum quodque ad iuncturam suam, et vidi, et ecce, super ea nervi et carnes ascenderunt et extenta est in eis cutis desuper, et spiritum non habebant. Et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde (ed. vulg.)! Longe incertior et obscurior Graecorum opinio de hominis post mortem conditione. Plane eam ullo tempore extinctam vel nullam fuisse vix crediderim. Nam difficillimum fuit putare, eum cuius verba modo audita, cuius oculi in circumstantes modo confixa erant, funditus deletum interiisse. Quare ne Homero quidem, veterrimo omnium poetarum, opinionem de immortalitate abnegem, etsi ii loci libri undecimi Odysseae, qui imprimis testimonium illius fidei exhibent, a criticis spurii atque subditicii iudicantur. Verum et his locis, quos posteriore tempore quam Homerica carmina statuunt esse compositos, opinio de mortuis, quum et repugnans in se habeat neque humano sensui satisfaciat, perobscura et parum iusta continetur. Vita enim, quae dicitur, post mortem re vera nulla est. Nam mortui partim et sensu et animo carent, partim in his rebus multo deteriores facti sunt, quam erant, priusquam vita excesserunt. Ulixem, quum ad

inferos descenderit, ne mater quidem agnoscit, et Tiresias vates Ulixem quidem agnoscit et alloquitur, sed tum demum pristinum munus vaticinandi, quo vivus utebatur, ei redit, quum sanguinem hostiae ab Ulixe caesae sumpsit. Tamquam umbrae igitur vel somnia in Plutonis aedibus inter perpetuum silentium mortui circumerrant, ut neque attingi neque comprehendi possint. cf. Od. XI, 333 et 206. Sors autem eorum fingitur miserrima; nam malorum et bonorum eadem est. Praeter nefarios istos homines, quales sunt Tityos, Eriphyle, Tantalus, Sisyphus, heroes eximia virtute ibi versantur; et Achilles, qui vivus portas Plutonis magno odio sibi esse exclamat, apud inferos pauperrimi opificis mavult esse servus quam rex omnium vita defunctorum, XI, 489 sqq. Posteris vero temporibus ista opinio magis magisque exculta est, ut et certior fieret et iustior. Qua in re mysteria et potissimum quidem Cereris ad novas easque meliores notiones perduxerunt. Cultus enim huius deae multum sequebatur naturam semina accipientem et fruges procreantem. Vita autem naturae hominibus illius aetatis multo magis vitae humanae similis videbatur quam nostrae aetati. Atqui non fugiebat semen terrae quidem gremio condi ibique dissolvi, sed post certum temporis spatium reviviscens novam vitam excolere, ut denique floreat et fruges reddat. Quam rem egregie mens Graecorum expressit illa de Persephone fabula, quae dea, a Plutone deo subterraneo rapta et in regnum eius abducta, a matre Cerere dea naturae fruges procreante maesto cum dolore requiritur, donec Pluto Persephonem partem anni in terram demittat. Hominem vero, eadem natura genitum, quum semel mortem occubuerit, in omni aeternitate morte extinctum teneri? Quo negato post mortem vitam hominis continuari statuebant, ut tum et bono et malo suum cuique tribueretur. Atque hac in re summa differentia inter aetatem Homericam et quae sequitur, quod postero tempore, quum animus et corpus certo distinguantur, animus ad inferos post mortem pervenire cogitatur ibique ex vita modo peracta aut poenas dare aut praemio affici. Huiusmodi sententiae complures apud Pindarum inveniuntur, qui poeta doctrinam illorum mysteriorum haud ignorabat; praesertim in fragmentis, quae de carminibus lugubribus supersunt, quae pleraeque e toto connexu avulsa difficulter explicari possunt. Inter se opponuntur corpus et animus, ut utrumque per se existat, in frg. 2 ed. alt. Teubner.:

καὶ σῶμα μὲν πάντων ἕπεται θανάτῳ περισθενεῖ,
ζωὸν δ' ἔτι λείπεται αἰῶνος εἴδωλον· τὸ γάρ ἐστι μόνον
ἐκ θεῶν·

εἴδωλον vocem hoc loco longe alio sensu adhiberi quam apud Homerum iam ex ratione adiecta apparet. Felicitatem autem animus amplectitur, qui iam in vita certam quandam scientiam rerum futurarum habuerit. Dicit enim frg. 8:

Ὄλβιος ὅστις ἰδὼν ἐκεῖνα κοίλαν
εἶσιν ὑπὸ χθόνα· οἶδεν μὲν βιότου τελευτάν,
οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν.

Gravibus autem argumentis sententia de hominis immortalitate per Platonem demum, imprimis in praeclaro illo opere, quod inscribitur Phaedo, confirmatur. Sed quamquam argumenta tam arcte inter se cohaerent, ut aliud alio fultum maiorem vim accipiat, tamen ipse philosophus sibi conscius est immortalitatem esse locum, quem humanarum virium imbecillitas certum exploratumque probare nullo modo possit. Licet pio philosophi ipsius

animo immortalitas certum quoddam fuerit, quam exiguus fuit numerus eorum, qui ita, ut eius sententia iis probaretur, argumenta philosophica animo comprehenderunt! Vulgus imperitorum illam imbecillam atque incertam antiquissimi temporis opinionem retinebat aut nihil de ea re sentiebat. Postea etiam a philosophis immortalitas negata est. Jam Aristotelem coustat animos singulorum hominum, quum in universum redirent, esse immortales negasse. Stoici vero, immortalitatem in ea re ponebant, quod hominum memoria apud posteros coleretur. Deest igitur fundamentum tranquille beateque vivendi, quo Judaei utebantur credentes post hanc vitam novam eamque beatiorem fore. Cuius rei tristitiam et acerbitatem tum demum recte intellegenues, quum amoris notionem, quo deus singulos homines amplectatur, et sanctitatis iustitiaeque, qua singulorum actiones merito prosequatur, parum Graecorum animis imbutam fuisse consideraverimus; deus enim non tam de singulorum salute, quam de re publica universa curare cogitatur, ut re publica eversa dii abscedant singulosque auxilio destituant. Quare cur in rebus adversis plane desperarint, mirum non est, velut Theognis loco quodam liberrime profitetur optimum contingere nunquam nasci, sin autem homo natus, quam celerrime mori. Quamquam igitur et apud Judaeos et apud Graecos de immortalitate sententia ab initio parum definita est, tamen id discrimen manifestum intercedit, quod apud Judaeos sententia semel exculta certam auctoritatem obtinet et hominem de futuris sperantem facit, apud Graecos nunquam communis facta est et magis quaestio philosophica quam ethica tractatur. —

Dr. Stein.

